



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Bene Meditandi

Berzetti, Nicola

Coloniae Agrippinae, 1658

Caput III. Quid post meditationem faciendum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56496](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56496)

ut Sanctarum illarum cogitationum reliquiae, ad continuum die festum, & iucundum convivium iugiter celebrandum conducant.

Quid post Meditationem faciendum.

C A P V T III.

Examen successus Meditationis.

Finitâ meditatione poterit sedendo, vel ambulando, vel alio modo ut placuerit, examinare modum quem observavit in præparatione ad meditationem, in formandâ præsentia Dei, in oratione præparatoriâ & prælu-

dijs faciendis; in exercitandâ memoriâ, intellectu, voluntate, & imaginatione in decursu meditationis; & denique in colloquio instituendo; ut si advertat se bene processisse, eundem modum deinceps quoque semper observet, & perficere conetur; si malè, errores corrigat.

De Distractionibus.

EXaminabit distractiones quas passus est, & videbit, num provenerint ex modica recollectione sua, ex negligentia sensuum, cordique custodia, ex emergente aliqua passione, ex nimia evagandi licentia phantasiæ

concessa, sive ante, sive in ipsa meditatione; vel potius à Dæmone ad impediendum meditationis fructum immissæ; vel denique permissæ fuerint à Deo in pœnam alicuius culpæ, vel monitionem ut ordinariè collectioni magis studeat, & cautiùs vivat. proponeret deinceps omnem adhibere diligentiam, ut eas prævertat, ne amplius perturbent; quantum in se erit, omnes illarum occasiones cum gratia Dei præscindendo deinde examinabit remedia ad expellendas illas tempore meditationis à se adhibita; quæ ordinariè esse deberent, vel humiliare se coram Deo, vel seipsum repræhendere;

vel

vel auxilium contra illatam sibi violentiam poscere, vel distractionem ipsam ad suum propositum applicare, vel quod optimum est, majori sese attentione ad materiam propriam applicare, utendo distractione illa velut admonitione, quod ante non satis applicatus atque attentus fuerit; vel vivacius sibi presentem Deum imaginari, vel aliud quippiam à Spiritu Sancto optimo meditando magistro dictatum usurpare. Atque hoc intelligendum de remedijs in ipso meditationis decursu adhibendis, nam ante meditationem fructuosè servire possent sequentia. Primum conari, ut quoad fieri

potest, continuo sumus uniti Deo per orationes iaculatorias, quarum multæ desumi poterunt ex locis Sacræ Scripturæ suprâ citatis, pro exemplis modorum dilatandi affectus, vel aliundè. Secundum non ita immergere se negotijs externis, quæ occurrunt sive voluntate, & electione propriâ, sive ex obedientia tractanda, ut pax & tranquillitas animi pereat, hæc enim quantum fieri potest, semper est conservanda. Tertium librum aliquem spirituales, piûm, & simplicem, qui affectum potius nutriat, quam satiet curiositatem per diem legere. Quartum frequenter, sed præci-

puè cum iam meditatio est in-
choanda, Angelo custodi sese
commendare, ut contra motus,
quos diabolus in imaginatione
causare potest, tueatur. Quintum
diligenter etiam minimos quos-
que defectus cavere, sibi que per-
suadere, quod hunc vel illum
committendo causam præbebit
Deo, ut in pœnam distractiones
tempore meditationis permit-
tat. Sextum accuratè observa-
re quæ sub initium dicta sunt
de præparationibus remotis,
& propinquis. Septimum quàm
fieri potest diligentissimè, &
vivacissimè præsentiam Dei in
principio meditationis concipe-
re, modo supra explicato. Octa.

vum frequenter per diem repetere cogitationes pias, & ferventes affectus, quos in matutina meditatione habuit: quae est res magni momenti, ad conservandam in se devotionem per Dei gratiam, quandoquidem repetitio illa iuvat ad conservandum spirituales fervoris, est devotionis ignem, non minus, quam nova & repetita lignorum aut alterius pabuli applicatio ad conservandum ignem materiale: praeterquam quod Deus videns hunc hominis conatum, eidem pro sua bonitate facile communicat recollectionem illam quam desiderat.

De Consolationibus.

Examinabit consolationes, quas habuit, inquirendo earum causas, & pro ipsis gratias agendo. Consolationes autem consistunt, primò in certis quibusdam motionibus internis, quibus adducitur homo, ut nullam creaturam amet, nisi propter Deum. Secundò in lachrymis, ex amore vel dolore, vel alia causa quæ recta ad honorem Dei ordinetur, ortis. Tertio in augmento Spei & caritatis. Quarto in omni genere lætitiæ, quæ animum ad perfectionis studiũ impellat. Quintò in divino lu-

mine,

mine, quo res aliqua alias incognita bene cognoscatur, aut alias quidem cognita, melius & clarius apprehendatur sive intelligatur.

De Desolationibus.

EXaminabit desolationes, si fortè aliquas est passus, & earum causas investigabit, excitando dolorem de culpa, si quam commisit, & veniam deprecando cum proposito emendationis. Nomine desolationis intelligitur, primò quidquid velū quasi oculis animæ prætendit, ne ea videat, quæ ad gloriam Dei, & suam propriam perfectionem

spectant. Secundo quidquid illam conturbat & instigat ad quaerenda terrena, & exteriora. Tertio, quidquid in illa diffidentiam acquirendi perfectionem, bene meditando, voluntatem Dei cognoscendi, in bene coepris perseverandi, &c. causat. quarto quidquid animam ad tepiditatem, tristitiam & tedium spirituale &c. impellit.

De fecunditate, & Ariditate.

At tendet num fecunditatem discursus, & materiae expertus fuerit, vel ariditatem potius: & ipsa ariditas num ab aliqua capitis indispositione, aut

exigua

exigua præparatione, aut ab angustia materiæ, vel potius à punitione divina propter occultam quampiam superbiam, & vanam complacentiam sui ipsius, aut propter alium aliquem defectum suum, forte inflicta; vel denique ab alio impedimento diaboli, Deo ità ad maiorem sui humiliationem permittente, processerit, proponetque emendare culpam, si quæ intervenerit. quod verò ad fecunditatem attinet, animadvertet num à speciali concursu Dei, ad debitas illi gratias agendas, nata fuerit; vel diligentia ante & sub meditatione adhibita ad eam conservandam; vel vivacitate ingenii, ad recog-

noscen-

nosendum humiliter hoc Dei
donum & strenuè deinceps sem-
per usurpandum; vel amplitu-
dine mysterii, ad majorem ejus-
dem æstimationem; vel à non
servato ordine in meditando, fa-
cto saltu ab una materia ad aliã,
ut deinceps sibi temperet, bo-
num ordinem servet; licet per
aliquod temporis spatium facun-
ditate illa carere debeat.

De Luminibus.

EXaminabit lumina, quæ ha-
buerit, sive nova omnino,
sive antiqua, sed renovata & cõ-
firmata, vel clarius cognita: ad-
vertens an sint ordinaria, vel ex-

traor-

traordinaria; conformia statui
suo, vel non, per discursum ad-
juvante ordinaria gratia Dei
collecta, vel potius speciali dono
à divina bonitate concessa: an
sint bene stabilita, vel non, specu-
lativa solum, vel etiam practi-
ca, &c. & apud se statuet, nihi-
lominus procurare, quantum ex
se erit, ut meliora in aliis medita-
tionibus obtineat, interea gratias
agendo pro his, quæ in præsentis
meditatione divina bonitas di-
gnata fuit largiri. per lumina au-
tem hic intelligo certas quasdam
cognitiones de bonitate, provi-
dentia, misericordia, aliisque per-
fectionibus Dei: de virtutibus ac
perfectionibus Beatissimæ Vir-

ginis,

gnis, & Sanctorum; vel vivas
quasdam apprehensiones & co-
gnitiones, quæ obtinentur de
pulchritudine, necessitate, utili-
tate, delectatione, &c. virtutis in
communi, & virtutibus particu-
laribus de turpitudine, enormi-
tate, & damnis quæ vitia & pec-
cata in se continent, &c. vel deni-
que certas quasdam conclusio-
nes, & axiomata vitæ spiritualis,
ex quibus deinde documenta
valdè utilia & pulchra in ordine
ad perfectionem acquirendam
deducuntur.

De Affectibus.

EXaminabit Affectus, quos
senserit, & dispiciet quales

nam

nam sint, vehementes, an moderati, &c. quamdiu duraverint, quoniam modo excitati fuerint & continuati, ut aliàs eisdem motivis & modis eos excitandi utatur. Nomine affectuum hoc loco intelligantur illi undecim quos communiter authores ponunt, & nos retulimus conditione decima superius posita inter eas, quæ circa personas expendi possunt, præsertim quos distribuimus supra in tres vias, purgativam, illuminativam, & unitivam.

De Resolutionibus.

EXaminabit Resolutiones factas, animadvertendo quot, & quales fuerint; unde initium

sumple-

sumplerint; quam solidæ acque
efficaces, quam conformes statui
suo in genere, & in particulari,
quam citò exequendæ, &c. quas
deinde renovabit, & stabiliet
breviter novo fervore, & affectu
per Resolutiones intelligo pro-
posita omnia, quæ firmiter in
meditatione fiunt, fugiendi quod-
vis vitium, peccatum, imperfe-
ctionem, vel quod habeat con-
nexionem cum re aliqua mala,
sive ut causa, sive ut effectus, &c.
& determinationes stabiles am-
plectendi, atque exercendi actus
virtutum, qui perfectionem sa-
piunt; vel aliquo modo ad ar-
ctiorem cum Deo unionem con-
ferunt, illiusque finis acquisitio-

Q

nem,

nem, quam habet, animam suam cum perfectione salvandi, ad maiorem Dei gloriam.

De iis, quae Notanda sunt.

ADnotabit in libello ea quae occurrerunt notatu digna, reducendo omnia breviter ad tria illa postremo recensita, id est, ad lumina, Affectus, Resolutiones, hi enim sunt fructus, quos ordinariè in meditatione prætere debemus, ut supra dictum. verum quidem est, si consolatio aliqua accideret, vel desolatio extra ordinaria, vel discursus quispiam amplius & novus, qui ad tria enumerata capita

difficiliter reduceretur, seorsim
scribi tunc posset, quicquid ex-
traordinarium vel novum con-
tinet. atque expedit hac ratione
fructus omnes adnotare, sive ut
continuum habeamus quasi ex-
citatorium ad gratias Deo pro
donis & favoribus, quos præstat
agendis, sive ut stimulum ad vi-
tam propriam emendandam, &
progrediendum in via perfectio-
nis; sive ad rationem patri Spiri-
tuali reddendam, ut simus certi
non fuisse illusionem; sive ut u-
tatur tempore necessitatis; sive
denique ad alios bonos fines, ut
facere consueverunt personæ
valde spirituales, & in virtute
profecti.

*Modus fructum Meditationis
adnotandi.*

Modus porro fructus adnotandi similis esse poterit huic, quem subjicio, quo fructus quosdam meditationis superioris de Incarnatione Dominica juxta primum discurrendi modum supra positum, describam.

1. Cognovi, quod Deus ex mera charitate misericordes oculos suos in homines defigat,

2. Bene intellexi quod ego oculos animae meae ad Deum elevare debeam, per actus amoris, & meditationis, licet ponerem me eius opera non egere.

3. Penetravi debere hominem
estimare, nihil magis necessarium,
utile, delectabile, honorificum fore,
quam frequenter elevare mentem ad
Deum.

4. Sensi affectum detestationis &
indignationis contra stultitiam, &
malitiam meam, quia hinc ortum
est, quod tam raro interdum de Deo
cogitarim.

5. Magnum desiderium, & val-
de vivam spem expertus sum, fore, ut
deinceps affectuose & diligenter id
faciam, non obstantibus quibuscun-
que contradictionibus.

6. Firmiter statui tota vita mea
minimum septies quotidie recordari
Dei mei.

7. Proposui mihi id facere mane

quamprimum excitatus fuero: dum primam actionem, postquam surrexi, inchoa vero: ad prandium ivero, ex mensa surrexero: ad coenam accessero: coenam absolvero: denique me cubitum contulero.

8. Resolvi super hoc particulariter me quotidie vesperi examinare, & si defecisse inveniam, pœnitentiam facere.

9. Extraordinariam consolationem sensi dum me instar cere mollis Deo obtuli, rogavi que ut respiceret in faciem Christi sui, sua merita, pro me ipsi offerentis, &c.

Notatis hac ratione fructibus rursus divinæ bonitati gratiasaget pro toto successu; & conabitur deinceps vivere, prout à divi-

na sapientia doctus fuerit. Cui si-
laus & gloria per æterna sæcula

*Praxis quinque sensus mysteriis
Christi Domini aliisque
applicandi.*

P R O O E M I U M.

Quia nō omnes pussunt, aut
norum considerationi my-
steriorum Salvatoris nostri, &
Sanctorum intendere, per mo-
dum meditationis; & tamen
præter utilitates maximas, quæ
inde percipiuntur, in primis de-
lectabile est, & valde conveni-
ens, quam fieri potest frequen-
tissimè ante oculos animæ con-